L'ISTRIA

DI

ANDREA RAPICIO.

L' ISTRIA

POEMA LATINO

DI

ANDREA RAPICIO

VESCOVO DI TRIESTE

PAVIA

DALLA TIPOGRAFIA BIZZONI

MDCCCXXVI.

L'EDITORE A CHI LEGGE.

Cercando le opere del Vescovo Rapicio di Trieste, vennemi dato di trovare nell' I. R. Biblioteca di Corte in Vienna, il suo poema dell' Istria, che ad eccezione di pochissimi versi citati dal P. Ireneo della Croce, e ripetuti da molti mi parve non essere conosciuto. Non essendo certamente degno il Poemetto di restare nell' obblio, nè meritando l' Autore tal sorte, pensai di ristamparlo, potendo anche occupare non ispregevole posto tra i monumenti storici. Possano gli amatori delle cose Istriane accettarlo di buon grado, e da questo saggio apprezzare il merito del Poeta Triestino.

Riputai necessario aggiungervi qualche nota a più facile intelligenza, e dar brevissimo cenno sull' Autore.

La famiglia Ravizza, o Rapicia, aveva già dato alla patria un Vescovo nel decimoterzo secolo. Il nostro Autore dedicossi agli studj giuridici probabilmente nell' Università di Padova, e passò di poi a Vienna. I suoi talenti

gli procurarono il posto di Segretario dell'Imp. Massimiliano II., e di Consigliere Aulico dell' Arciduca Carlo. La Serenissima Casa d' Austria si servì di lui anche in diversi pubblici affari; tra gli altri in una missione a Roma per parte di Ferdinando I. Nel 1567 fu promosso alla dignità vescovile della sua patria, nella qual occasione fu onorato da Massimiliano II. col presente di una tazza. Ogni cura si diede a pro del suo gregge, ed a sedare certe dissenzioni che dividevano i cittadini, di cui rimase vittima, avvelenato infelicemente nel 1573 con un bicchiere di vino. Caro ad illustri soggetti del suo tempo, i suoi lumi gli meritarono nell' Ital. Sac. dell' Ughellio, l' elogio: *Rapicius flos videlicet illibatus politiorum hominum, quos nostra aetas tulit.* Coltivò con successo le lettere latine. Delle sue opere che consistevano in molte poesie, lettere, vite dei Vescovi di Trieste, ecc. ci restano solo il Poemetto con 5 Odi stampato a Vienna nel 1546, tre Dissertazioni di Diritto Civile pure stampate, e qualche altra poesia. La famiglia Ravizza sussiste ora in Pisino.

AMPLISSIMO ATQUE INTEGERRIMO VIRO

SIGISMUNDO HERBERSTANIO

REGII FISCI PRÆF. ETC. ETC.

ANDREAS RAPICIUS J. C.

S. P. D.

Vellem equidem, Sigismunde, extaret opus aliquod studiorum meorum, quod esset testis, et index constantis meae erga te voluntatis. Id quoniam pro dignitate praestare non possum, discrucior interdum, et Fortunam meam incuso quod me iis omnibus ornamentis destituerit, quibus instructus poteram fortasse ad laudes tuas propius accedere, et excellentes animi tui dotes quandoque posteris commemorare. Sed tamen in hac rerum mearum difficultate, magna mihi vicissim oblata spes est, fore ut Dii mihi aliquando eam dejiciant occasionem qua testari omnibus possim apertius, quantum ego tibi debeam. Interim conscius mihi meae ipsae tenuitatis, quoniam majora non possum, mitto ad te qualecumque hoc Histriae munus, perpetuae meae in te benevolentiae certissimum obsidem. Id adeo cum sponte mea libens facio (nemo enim est omnium mor-

talium, cujus officiis aeque me obstrictum fateor ac tuis) tum eo libentius etiam, quod, cum eam provinciam non solum videris sed propius etiam cognoris, hanc ob rem puto libellum ipsum tibi gratiorem futurum. In quo quidem, cum unum illud sit praecipuum ornamentum, quod nomini tuo consacratus sit, aliud praeterea non video, nisi id etiam forte accesserit ad me beandum, ut intelligam aliquando illum fuisse tibi non injucundum, et ab hominum injuria defendi patrocinio tuo. Hoc vero SIGISMUNDE *a nobis eo animo accipito, ut existimes tamen plura a me quandoque in te proficisci opportere. Vale vir clarissime, et propediem libros tres adversus receptam Juris sententiam a nobis expecta.*

Viennae calend. augusti 1556.

ANDREAE RAPICII Jurisconsulti Tergestini

HISTRIA

AD

SIGISMUNDUM HERBERSTANIUM.

Vitiferi colles Adriae, qua pulchra Timavi
Hostia septenis properat se jungere lymphis,
Seu vos mellifluo perfundit rore Lyaeus,
Sive alius vestros montano vertice fructus
Excolit, o Patrii colles salvete, nec unquam
Juppiter innocuas infestet grandine vites.
Non me despecti fallacia munera vulgi,
Irrita vel tumidae rapuerunt somnia famae,
Ut vos cantarem tenui sermone, vel ullis
Monstrarem populis, quorum pia munera norunt
Et Thule, et Meröe postremae limina terrae.
Est aliud nobis studium, quis talia demens
Audeat, humanum longe excedentia captum?
Quod si ego jam vestras affectem carmine laudes,
Rideat incultos nimium Democritus hortos,
Subsannetque rudi deducta poemata versu.
Suasit amor patriae, et foecundae premia terrae
Vester honos, cujus Coelo se gloria tollit.
  Huc ades o Lenaee pater, cui cura colendae
Vitis, et illesas servare in collibus uvas,

Te duce sit fas tanta mihi vulgare per orbem
Munera, vosque mihi sacros recludite fontes
Pierides, nostroque etiam aspirate labori.
Tuque adeo decus Aonidum Sismunde Sororum,
Ardua cui rerum series est credita, si te
Nunc sinit ingenti curarum mole quiere
Rex pius, et paulum ad dulces secedere Musas,
Ne nostros contemne orsus, ne despice Vatem
Ausonium, tibi qui studiis se se omnibus offert,
Scilicet ipso tuo perfusus numine dicam
Et patriae terrae laudes, et pinguia culta,
Histrorumque urbes, divini et munera ruris.
Non mihi se Euganei jactent, campique Falerni,
Nec sua Cretaei mirentur vina Coloni:
Sed neque Cirneos colles, nec Setia rura
Laudarim, nec agros aut jugera Veicetina.
Desine Massilios mirari villice fructus,
Massicaque excultis nascentia pocula terris.
Arboribus pendet melior vindemia nostris,
Quam reliquis, cui non totidem certaverit ulla
Ferre cados, cui non similes ferre ulla racemos,
Non Rhodos aut Thasiae firmissima vina lagenae
Non aliae, quarum species vix nomina servant.
Te colimus Pucine pater, cui Livia quondam
Retulit acceptos annos et tempora vitae (*a*).

(*a*) Pucino, ora Prosecco vino riputatissimo noto ai Greci ed ai Romani. Livia moglie d' Augusto a dire di Plinio (Var. L. XII. Ep. 22) visse 82 anni servendosi di questo vino. Per l' atto di dedizione del 1382 Trieste ne dava annualmente alla Serenissima Casa d' Austria cento anfore.

Muneris id Pucine tui: qui dum ardua montis
Saxa colis, rupesque altas, et Japigis oras (*b*),
Longe alios fructus virtute, et laudibus anteis.
Tu mihi, seu canibus Lepores, seu fallere visco
Argutas cupiam volucres, seu litore curvo
Allicere incautos praetensa in retia pisces,
Omne genus studii secura per ocia vitae
Suggeris, atque animum perdulci pascis amore.
Huc quondam Aonias memini deducere Divas,
Flumineos inter latices, et amoena vireta.
Sylvicolae quoties Fauni, Driadesque canentem
Audistis, quoties blandos in margine somnos
Ducentem, qua se rauco fert unda susurro?
Et modo graminea recubans securus in umbra
Cantabam nostros ignes, et Phillidis iras:
Et modo laetabar vitreis immersus in undis,
Et varios mecum solus meditabar amores.
Hae Lauri Mirtique leves, haec conscia nostri
Flumina, et hic placidus crepitanti rivulus unda.
Felices nimium colles, felicia rura,
Quae mihi non unum, dum pasco oculosque, animumque
Surripuere diem.

Sunt in conspectu positae refluentibus undis
Mille urbes, totidemque ferax tenet oppida tellus.
Haud procul hinc Phrigii visuntur stagna Timavi (*c*),
Unde fluunt gelidae septeno gurgite lymphae.

(*b*) Japigia, secondo la mente del nostro Autore il Carso.

(*c*) Timavo, fiume che presso s. Canziano si perde sotterra, e dopo 14 miglia ricomparisce sbucando da 7 fori, celebrato da Virgilio, e da altri Classici antichi.

Vidi ego, dum cupidus Naturae jura parentis
Mirarer, fluvium hunc salsa crescente lacuna
Crescere, cum caecos ortus oppleret aqua vis:
Qui dum rimoso condit se fomite, et undas
Secretis auget venis, caecisque latebris,
Stillatim manat, vires cursumque secundans:
Vulgus iners densa noctis caligine septus,
Credidit hos fontes aliis jacuisse lacunis,
Atque Antenoreis scatuisse in vallibus, unde
Meduacus (*d*) plenis hodie lapsurus in aequor
Cornibus, Adriacas placidus discurrit in undas.
O caecae nimium mentes, hic ille Timavus,
Quem sacri celebrant vates, hic Cyllarus hausit (*e*)
Septenos latices fontano e gurgite, et illos
Inter saxa sedens, Pucinis miscuit uvis.
Hinc, ubi japigium laevum latus obtinet, atque
Iratum pelagus sinuoso murmurat ore:
Tergestum procul apparet, quo gaudeo luci
Emersisse puer, superasque in liminis oras,
Ausoniae prisco prodiens de sanguine gentis,
Quae Latium moerens olim, patriosque Penates,
Ob varios belli motus, tristesque tumultus,
Servitia, et praedas, quibus Itala Regna premebat

(*d*) Medoaco, ora Brenta fiume che scorre presso Padova città fondata da Antenore. Si disputò spesso qual fiume della Venezia fosse il Timavo.

(*e*) Cillaro cavallo di Polluce. L' autore intende del viaggio degli Argonauti in queste parti. Anche Antenore dicesi essere approdato al Timavo, ed ivi sacrificato in onore di sua madre. Dal greco verbo τιμάω, onoro, puossi dedurre il nome Timavo.

Barbarus, hostili subvertens omnia clade:
Deseruit, tenuitque isto sub cardine sedes.
Hic nitidi fontes, hic sunt Peneia Tempe,
Nec non uberibus laetissima pascua glebis.
Sunt qui, sed levibus ducti rationibus, urbem
Crediderint montem coluisse, ubi Servulus alto (*f*)
Vertice prospectat, Patriae tutela Deusque.
Multi etiam falso hanc urbem regionibus Histris (*g*)
Disjungunt, statuuntque alio sub litore: verum
Quid vetat hanc iisdem populis adjungere gentem?
Certum et enim, nec vana fides, hic gurgite lasso
Finiri Adriacum pelagus, surgentiaque arva
Histrorum incipere, et paullatim excurrere ut Isthmos,
Ut libet: egregiam olim urbem claramque fuisse
Credibile est, late imperio, populoque potentem.
Salve terra parens titulis insignis et armis,
Urbs vetus invicti Regis, quo Principe nullus
Dignior Augustam cingit diademate frontem.
Dii Fernande (*h*) tuos annos, tuaque optima fata
Fortunent, cui se se moenia Romanorum,
Aureaque auspiciis laetis Capitolia servant.
Intrabis Scythicas felici numine terras,
Euxinosque lacus, merita dehinc morte Tyrannum
Afficies, saevo referens ex hoste triumphos.

(*f*) S. Servolo castello poco distante con celebre grotta.

(*g*) L' autore risolve giudiziosamente la questione a qual provincia appartenga Trieste, provandola geneticamente, e geograficamente Istriana, ed ommettendo ogni divisione politica.

(*h*) Ferdinando I. fratello di Carlo V., che era allora in guerra col Turco a cagione dell' Ungheria.

Africa victrices Aquilas, augustaque signa
Sentient, o foveant nostris pia numina votis.
Pannoniae tandem submotis hostibus orae
Florebunt melius te Principe, te duce regnum
Ausonium, parta demum jam pace, quiescet.
Diffugient olim tristes te vindice Dirae,
Diffugient bellique metus, et amica reduces
Ocia, non vani augurium docuere parentes.
Quin etiam Patrii fines, et litora per te
Optatos capient tandem tutissima portus.
Interea Diis sacra ferunt, et limina templi,
Et patrias cumulant votis ardentibus aras.
Sed mihi vesano rumpuntur corda dolore,
Dum video nostram gladiis civilibus urbem
Bacchari, atque suis jamdudum viribus haustam.
Quando igitur, Patrii Cives, male sarta coibit
Gratia, vosque iterum fraterno junget amore
Concordes, odiis longe civilibus actis?
Has iras alio potius convertite, et istos
Effraenes animos Divini in nominis hostem:
Et faciles rursus cöeant in pristina mores
Foedera, jam tandem o fessi desistite cives.
Roma vetus, dum te rexit malesana juventus,
Illa tui quondam Majestas nominis in se
Concidit, Imperiumque potens, nomenque, decusque
Defunctis Patribus paulatim cessit, et inde
Dispariit, nulla ut vestigia prisca supersint.
Scilicet infestis volitans Discordia pennis,
Eruere una potest dominas a stirpibus urbes.
Te vero ante alios omnes, fortissimus heros

Hispanae gentis sydus, Jane inclite ab Hoys (*i*),
Afflictis Patriae deceat sucurrere rebus,
Et per te sileant tot jurgia, non tibi parvum
Ingenium natura dedit, seu milite cinctus
Bella geras, sive auspiciis melioribus urbem
Tergeste, populumque regas: haec pectora et istos
Heroas voluit Romana potentia, si fors
Divisas traherent partes, Populusque Paterque
Macte animi virtute, cui nova gloria surgit,
Postera jam veniet, quae te mirabitur aetas,
Attoletque tuum felix super aethera nomen.
Verum aliud vocor ad munus, ceptumque canendo
Absolvendum opus, et suscepti summa laboris.
Est in progressu foecundo Sylvula colle (*l*),
Arboribus frequens, Patriis subjecta colonis;
Ah quoties udam ducentem sub Jove noctem
Hic me oriens vidit Phoebus, dum murmura vulgi
Despicerem, dum Libertas mihi charior auro.
Est prope virgineis Mugilia (*m*) rara puellis,
Rara viris, quales evexit ad aethera virtus.
Sed cur praetereant nostrae te Robba Camoenae
Antoni, qui Peoniis nunc artibus ipsum
Hyppocratem reddis Patriae, qui gentibus aegris
Infestas cohibes humano corpore febbres?
Quid memorem Julianum Equitem, quem magnus Apollo
Hetrusco voluit depromere carmina cantu?

(*i*) Conte Hoyos Capitano di Trieste. Questa dignità statutaria mutossi in quella d' Intendente, poscia di Governatore.

(*l*) Bosco Fernedo, ora il Boschetto.

(*m*) Muggia.

Teque etiam mi Jane canam, cui tempora Lauro
Docta virent, quem Castaliae, pia numina, matres
Certatim variis cumularunt laudibus, unde
Gens praeclara suo se jactat Apostola alumno,
Tu modo Naturae primas evolvere causas,
Et, quae cepisti primum ratione, latentes
Perge vias, instans operi, laudique futurae.
Haud longe hinc sequitur muscoso e pumice labens
Formio (*n*), qui obliquo gaudet per pascua ductu.
Tranquillas hic ducit aquas, et servat ubique
Perspicuus vitreas lucenti gurgite Lymphas.
Vix credas labi, tam lene lambit opacas
Ripas, atque leves invitat carpere somnos.
Italiae quondam fines hic prisca Vetustas
Constituit, sed paullatim labentibus annis
Histriacas tandem terras hoc limite clusit.
Dein surgunt mediis Justini moenia in undis (*o*),
Aegida dixerunt graeco sermone Pelasgi.
Hic mihi Pierias sedes, et culmina Musae
Monstrarunt puero quondam, cum e fontibus almis
Hausi parvus opes, Latiaeque exordia linguae.
Indolui vexatam urbem, non hoste nec ullis
Quod fuerit pressa insidiis, aut Marte superbo:
Sed quo saeva lues, tetroque infecta veneno
Reddidit ingratas diris afflatibus auras,
Corrupto Coeli tractu, dum luctifer annus

(*n*) Formione, in oggi Risano, antico confine dell' Italia civile estesa poi fino all' Arsa altro fiume dell' Istria. La valle del Risano è nota pel parlamento provinciale tenutovi nell' 804.

(*o*) Egida, indi Giustinopoli, ora Capodistria.

Ingruit, et plures mortali vulnerat ictu.
Infelicem urbem, qua non praestantior ulla;
Seu faciem Coeli spectes, seu roscida circum
Prata, vel Adriacas quibus est circumdata lymphas.
Non requies est ulla mali, prostrata trahuntur
Corpora, sunt passim projecta cadavera, postquam
Incubuit terris, inimici Syderis aestus,
Atque avidi late serpunt contagia morbi.
Hei mihi Coelicolum grave, et implacabile numen
Placandum est puris precibus, flectendaque summi
Ira Dei; poscunt alios haec tempora mores.
Te, venerande senex, saevae rapuere sorores
Ante diem, poterat vivax tua ferre senectus
Longius humanos venturi temporis usus.
Non mihi te, postquam patriis sum redditus oris,
Affari licuit, saltem mea gaudia sospes
Vidisses, partosve etiam mihi nuper honores.
Tu mihi Parnasi latices, tu culmina Pindi
Monstrasti, per te solitas mea Cynthia voces
Prosequitur, per te facilis, licet ardua dudum,
Virtus optatae tribuit mihi nomina laudis.
Ah tantum sors ausa malum: Te moenia lugent
Ambrosi, te tota aucta Histria donis.
Fortunatam animam, dubiis quae exempta procellis
Divinam aspectat faciem, sedesque beatas
Incolit, et Coelo fruitur tranquilla sereno.
Si rediens Patavo constructum forte sepulchrum
Aspiciam, intactos tibi, debita munera, flores
Contexam, grati monumentum, et pignus alumni.
Teque etiam miseram Eurydicem florentibus annis

Crudeles rapuere deae, nec vota nec ullas
Audiere preces, surda stat Juppiter aure.
Ah miseram Eurydicem, tecum spes, gaudia, risus;
Tecum abiere, meae felicia tempora vitae.
Sed minor prosunt lachrymae, quando omnibus unum
Est iter, et nullis flectentur numina donis.
Ergo ubi Justinis fueris digressus ab oris,
Æquoreos propter tellus jacet Insula fluctus (*p*),
Cui rigui fontes, campos, et roscida prata
Foecundant, liquidisque irrorant ductibus agros.
Pallentes Oleas longo fert ordine opacum
Litus, et in parvis nascuntur collibus uvae,
Prae quibus Ambrosiam vilem, nihilque putarim.
Hinc aliae, atque aliae curvis sinuantur in oris,
Praecipue quae porrigitur Pyrranea tellus,
Quae tutum servat nautis grata hospita portum (*q*),
Si quando tumidos excit vagus Adria fluctus,
Infestatque rates saevis truculentior furis.
Saepe ego, cum insanis fremerent abrupta procellis
Æquora, turbatis sociis, et remige tuto,
Huc veni hospitio veteris susceptus amici.
Ecquid agis Flori? deducta poemata condis,
Aut quid tale aliud? nam te jam tertia messis
Invitum tenet Histriaca regione morantem,
Dum magna cum laude capit praecepta juventus.
Dispeream, si te quisque mihi charior alter
Extitit, aut etiam tali mihi foedere junctus.

(*p*) Isola.
(*q*) Pirano, e il porto delle Rose.

Scilicet id praestat virtus tua maxima, quae te
Insinuat Coelo, et divinis sedibus infert.
Sunt prope vitiferi porrecto in litore Humagi (*r*)
Jugera, ubi dulci spumantia pocula Baccho
Hausimus, atque vagos spatiosa per aequora pisces
Vimineis nassis, et curvo cepimus amo.
Tollitur hinc prisco residens Aemonia (*s*) muro,
Barbaricas moerens adverso Marte ruinas.
Quis cladem acceptam memoret? quis duro sub hoste
Servitia? Ah nimium infelix Aemonia, quando
Vix aliud praeter nomen, tuaque impia fata
Agnoscas, adeo externus te exercuit hostis.
Hic flavae rident segetes, et florida prata,
Atque ferax laeta pubescit vinea fronde.
Apparent celsi mox culmina pulchra Parenti (*t*),
Urbs vetus, atque iisdem belli jactata periclis,
Quae defessa diu quondam tulit Histrica tellus.
Sunt et Arupinae cautes, saluberrima rura (*u*):
Tercentum hic scopuli tollunt se in litore, et illos
Effossis habitant antris animalia, quae hosti
Monstrarunt tacitos occulto tramite calles (*v*).
Hos inter densos scopulos, qua frangitur unda,
Qua dulces spirant aurae, prope litoris oram,
Dum comitum manus Histrorum lectissima quondam
Tranquillis veheremur aquis, conscendimus una,
Et portum fessi ingredimur: tum gaudia mille,

(*r*) Umago. (*s*) Cittanova. (*t*) Parenzo. (*u*) Rovigno.

(*v*) L' autore parla di quei crostacei, detti volgarmente *Dattoli* dalla loro forma e colore, che abitano il vivo degli scogli, e che pigliansi spezzando le pietre che li contengono.

Mille voluptates bibula meditamur arena.
Hic conchas legit, et muscoso in litore quaerit
Haerentes Mitulos, Cancros, Gobiosque fugaces:
Ille autem fugientem undam sequiturque fugitque,
Dum sequitur, fugit illa procul pernicibus alis:
Dum fugit, haec rursus sequitur, mox fluctibus illum
Obruit, et totum perfundit rore madenti.
Ast alii furtim subeunt, qua densior horret
Umbra loco, dapibusque alacres epulantur opimis.
Dum licuit laetas ibidem transigimus horas,
Dulcia tranquillae complexi gaudia vitae.
    Quid memorem abruptas moles, aequataque Coelo
Culmina, ubi antiquae lucent miracula Polae?
Desine Roma tuos nobis ostendere colles,
Convexos Regumque arcus, et stagna Neronis:
Hic etiam Pariis fulgent erecta columnis
Templa Deum longe priscos superantia honores (*x*):
Tum vero praeclarum, ingens, memorabile Arenae (*y*)
Juli opus, et veterum passim monumenta parentum (*z*).
Jane utinam tecum Patrias devectus ad oras
Aspiciam celsi propius miracula Zari (*a*).
Hic sat pingue solum, quamvis sit pessima Coeli
Temperies, quae homines agitat, pallentiaque ora
Reddit, et assiduis infestat corpora morbis.

(*x*) Tempio di Roma e d' Augusto, ed altro vicino.

(*y*) Anfiteatro creduto allora opera di Giulio Cesare.

(*z*) Arco funebre dei Sergj.

(*a*) Teatro volgarmente detto Zaro, che a quei tempi era ancora in piedi, distrutto dall' ingegnere Deville nel 1642 per costruire la fortezza.

Quid loquar aut latices, aut molliter assurgentes
Vicinos colles, tellus quibus Histrica gaudet?
Praecipue quae se montano vertice tollunt,
Et Buleae, et Monton gravidis loca foeta racemis (*b*).
Te Gradonice cano, Veneti quem cura senatus
His voluit praeesse locis, ubi tertius annus
Te vidit rara juvenem gravitate, nec ullis
Corruptum donis, sed debite jura tuentem.
Tecum amici curas vario sermone levabam,
Et tardos nimium menses si quando vocaret
Nos Coelum, aut etiam cupidi pars laetior anni,
Hic quondam multos memini consumere soles
Cum Phoebus calida passim fervesceret hora,
Aestivusque canis sitientes ureret agros.
Barbe refer, mi Barbe refer quae tempora nobis
Transierint, nostros studiis dum sumpsimus annos,
Excoluitque animum sacri prudentia Juris?
Tu tamen Histriacis jam pridem es redditus oris,
Optatamque dedit tandem Fortuna quietem.
Me vero curis longe majoribus ortum,
Et patriae praedulcis amor, jussusque paterni,
Et posita ante oculos vitae gravioris imago,
Finibus his nuper suaserunt cedere, et istos
Linquere agros, quibus est toto nil pulchrius orbe,
Atque alias terras, extremaque limina adire
Semotum procul a Patria, aspectuque meorum.
Heu vitam somno similem, quis cogitat unquam
Tam dulces abiisse dies, haec tempora, et illos

(*b*) Buje e Montona.

Quos tecum mi Barbe simul transegimus annos
Suaviter, et nullos soliti sentire tumultus?
Juvit propositam jaculis contingere metam,
Et fessum viridi versare in gramine corpus,
Spectantes duros ardenti sole colonos,
Dum feriunt crebro fragrantia adorea pulsu,
Mox ubi paullatim fugiens lux alma diei
Cesserat, et noctis coecas induxerat umbras,
Villica cui fruges, cui sunt cerealia curae
Munera, turgidulas ovium pecorumque papillas
Emulget, struitur nullo tunc ordine mensa
Sub violis, quas irriguus vegetaverat humor,
Promebat dulces cantus moestissimus ales
Daulias, et prisca iterabat voce querelas.
Num subeunt animo leges, et civica jura,
Quaeque per aestivas enygmata solvimus horas?
Ipse equidem memini, cum Galli formula nostros
Implicuit, torsitque animus, ubi posthuma proles
Testanti haud poterat succedere jure Quiritum.
Ecquid adhuc memor es, Patrii cum jugera campi
Monstrares? cultae hic segetes, hic pascua, et illic
Arborei foetus veniunt, hic Portula nostris
Subjecta est oculis, alibi Picquentia rura (*c*).
Quid vallem umbrosam, et salientes fontibus undas,
Quid referam celsi turrita cacumina montis?
Quod si non rumpant querela nemora alta Cicadae,
Vix equidem aestatem norim, tam lenior aura
Spirat in his, crepitatque locis, dum serus opacis

(*c*) Portole e Pinguente.

Arboribus gaudet Cuculus producere carmen.
Hinc mare navigerum, et celeri freta nauta carina,
Joniumque secans pelagus stridentibus Euris
Cernitur, affectans expansis litora velis.
Caetera quid memorem reliquis incognita terris?
Non lepus hirsutus non vulpes callida defit,
Non etiam aucupii quodvis genus, omnia dives
Praestat ager, cultos et amoena vireta per hortos.
Sed quo te tandem plectro, quo carmine dicam,
Quae sacrum celebras vatem, Stridonia tellus (*d*)?
Egregium vatem, quo non praestantior alter
Mellito sermone pios expromere sensus:
Te, te inquo, dubiis cui debet fracta periclis
Religio, et meritos defert, Hieronyme, honores.
Ferte sacro cineri flores, date Lilia plenis
Ruricolae calathis, tantoque assurgite vati.
Felix ingenio haec Regio, si quae altera tota
Ausonia est, sed enim paupertas invida, et ipsa
Res angusta domi cupidis conatibus obstat,
Et facit, ut juvenes studiorum culmina nunquam
Pertingant, mediis revocati e cursibus illi.
Quamque aliqui, quibus arrisit Fortuna, modusque
Sulcarunt Paphias adeo feliciter undas,
Ut tales mirere isto sub sydere nasci.
Haec loca non unquam libyci invertere leones,
Non rabidae tigres, aut sevis dentibus hydri,
Nullaque taurorum vis ignea, totus arando
Hic mansuescit ager, pubesque assueta labori

(*d*) Sdregna, patria di s. Girolamo.

Exercet pingues curvato vomere campos.
O fortunati colles, nimiumque beati,
Sic mihi contingant felicia tempora vitae,
Ut non ipse aliis, quam vestris vallibus usquam
Vivere amem, non delicias si deferat ipsa
Roma suas, cunctosve mihi promittat honores.
Quid juvat egregias urbes, et maxima Regna
Incolere, atque alto vicina palatia Coelo?
Quid si te media circumdet luce Satelles,
Et possis fulvo loculos implere metallo?
Scilicet hoc nihil est, medios ostendere vultus
Majorum, aut etiam nitidis accumbere mensis,
Si tua te miserum toto vita arguit aevo.
    Non Siculae coenae dulcem potuere saporem
Reddere, non hominem variis subducere curis.
Ite igitur curae, procul hinc fastidia mentis:
Mi liceat posthac molli requiescere in umbra, et
Vicina e specula mare prospectare profundum,
Vivendum est melius: venient mox cana senectae
Tempora, quae arceri nullis pellive medellis
Possunt, ut falso cecinit nugator Homerus.
Hei mihi non sistunt labentis stamina vitae
Pharmaca, non annos succi remorantur euntes.
    Felices igitur colles, iterumque beati,
Quos dulces zephiri quos suavis spiritus aurae,
Et nemus umbrosum, atque avium certamina cingunt:
Non mihi contingat, quicquid fovet aurea ditis
Unda Tagi, non divitiae non fama Cylippi
Sit potior, non optarim mihi Lydia regna,
Ripheosve greges, aut fulvi munera Gangis.

Ultima sed vestris me vallibus occupet aetas,
Hic ubi (dum vestros Proavi coluistis amores)
Venturam placuit per saecula longa senectam
Ducere, et optatae concludere gaudia vitae.

FINIS.

PAVIA

DALLA TIPOGRAFIA BIZZONI

1826.